Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25941
Copyright: Admont, Benediktinerstift

erga reuerentissimum fratrem et coepiscopum nostrum Au
gustinum gloria uestra exstitit. quantaque illi solacia.
uel qualem caritatem impendit retulerit. et omni
potentem dominum benediximus. qui conuersionem gen
tis anglorum mercedi uestrae propitius dignatus est re
seruare. Nam sicut recordandae memoriae HE
LENA mater Constantini piissimi imperatoris
ad christianam fidem corda romanorum accendit.
ita et per gloriam uestrae studium in anglorum gente domini
misericordiae confidimus operari. Et quidem iam dudum
gloriosi filii nostri coniugis uestri animos prudentiae
uestrae bono sicut reuera christianae debuistis in
flectere. ut pro regni et animae suae salute fidem
quam colitis sequeretur. quatenus et de eo et per eum
de totius gentis conuersione digna uobis in caele
stibus gaudiis retributio nasceretur. Nam sicut dixi
mus pia quam et recta fide gloria uestra munita. et
litteris docta est. hoc uobis nec tardum nec de
buit esse difficile. Et quoniam deo uolente aptum nunc
tempus est agite. ut diuina gratia cooperante cum
augmento possitis quod neglectum est reparare.
Itaque mentem gloriosi coniugis uestri in dilectione christi
anae fidei adhortatione assidua roborate. Uestra
illi sollicitudo augmentum in deum amoris in
fundat. atque ita animos eius etiam pro subiectae sibi
gentis plenissima conuersione succendat. ut
et magnum omnipotenti domino de deuotionis
uestrae sacrificium studio offeratis. et ea quae de uo
bis narrata sunt excrescant. et uera esse modis
omnibus approbentur. quia bona uestra non solum iam apud
romanos. qui pro uita uestra forti orauerint. sed etiam
per diuersa loca et usque constantinopolim ad serenis
simum principem peruenerint. Unde sicut nobis
de christianitatis uestrae solaciis laetitia facta est. ita
quoque de perfecta operatione uestra angelis fiat gau
dium in caelis. Sic uos in adiutorio supra scripti
fratris et coepiscopi nostri reuerentissimi et seruorum dei
quos illuc misimus. in conuersione gentis uestrae
deuote ac totis uiribus exhibete. ut et hic feli
citer cum glorioso filio nostro coniuge uestro regnetis.
et post longa annorum tempora. futurae quoque uitae
gaudia quae finem habere nesciunt capiatis.
Oramus autem omnipotentem dominum. ut gloriae uestrae cor
ad operanda quae diximus gratiae suae igne succen
dat. et aeternae mercedis fructum de placita
sibi operatione CONCEDAT.

GREG. Adalberto regi anglorum
P ~~ropter hoc~~ XXX.
omnipotens deus bonos quosque ad populorum
regimina perducit. ut per eos omnibus
quibus praelati fuerint dona suae pietatis im
pendat. Quod in anglorum gente factum cog
nouimus. cui gloria uestra idcirco est praeposita.
ut per bona quae uobis concessa sunt etiam subiectae
uobis genti beneficia superna praestarentur. Et ideo
gloriose fili eam quam accepisti diuinitus gratiam solli
cita mente custodi. christianam fidem in populis tibi
subditis extendere festina. zelum rectitudinis
tuae in eorum conuersione multiplica. idolorum cultus
insequere. fanorum aedificia euerte. subditorum
mores in magna uitae munditia exhortando.
terrendo. blandiendo. corrigendo. et boni operis
exempla monstrando aedifica. ut illum retribu
torem inuenias in caelo. cuius nomen et cognitionem
dilataueris in terra. Ipse enim uestrae quoque gloriae nomen
etiam posteris gloriosius reddet. cuius uos honorem
quaeritis et seruatis in gentibus. Sic enim Constan
tinus piissimus imperator romanam rem publicam
a peruersis idolorum cultibus reuocans. omnipotenti
domino deo nostro Ihesu Christo secum subdidit. seque cum
subiectis populis tota ad eum mente conuertit. Unde
factum est. ut antiquorum principum nomen suis
uir ille laudibus uinceret. et tanto in opinione
praecessores suos. quanto et in bono opere superaret. Et
nunc itaque uestra gloria cognitionem unius dei patris
et filii et spiritus sancti regibus ac populis sibimet subiectis
festinet infundere. ut et antiquos gentis suae
reges laudibus ac meritis transeat. et quanto in
subiectis etiam aliena peccata deterserit. tanto
etiam de peccatis propriis ante omnipotentis dei
terribile examen securior fiat. Reuerentissi
mus autem frater noster AUGUSTINUS episcopus in mo
nasterio regulariter edoctus. sacrae scripturae sci
entia repletus. bonis moribus auctore deo praeditus.
quaeque uos admonet. libenter audite. deuote pa
gite. studiose in memoria reseruate. quia si uos
eum qui pro omnipotenti deo loquitur auditis. isdem
omnipotens deus hunc pro uobis orantem celerius exaudiet.
Si enim quod absit uerba eius postponitis. quando eum
omnipotens deus poterit audire pro uobis. quem uos negli
gitis audire pro deo. Tota igitur mente cum eo uos in
feruore fidei constringite. atque annisum illius uirtute